



## The Holy See

---

**BENEDICTUS PP. XVI LITTERAE APOSTOLICAENOBIS SUPREMUM\*INSULA CELEBES EIQUE  
CONTINENTES MINORES INSULAE**

**A VICARIATU APOSTOLICO BATAVIENSI SEPARANTUR ET IN NOVAM PRAEFECTURAM  
APOSTOLICAM DE CELEBES NUNCUPANDAM ERIGUNTUR**

*Ad futuram rei memoriam.* — Nobis supremum Ecclesiae clavum obtinentibus illud imprimis cordi est, ut christiani gregis tutiori custodiae ex aucto Pastorum numero provideamus. Cum igitur, ad nomen christianum in Indiarum Neerlandicarum insulis latius atque citius propagandum, opportunum visum sit consilium territorium Vicariatus Apostolici Bataviensis, hucusque iam pluries dismembratum, ulteriori divisioni subiicere, ab eodem Insulam Célebes aliasque eidem adiacentes separando, ex quibus nova efformaretur Praefectura Apostolica, aliis operariis evangelicis assignanda; Nos, omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, haec quae infrascripta sunt decernenda existimavimus. Nimirum, ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi perpetuumque in modum, Insulam vulgo *Celebes* eidemque continentes alias minores Insulas a Vicariatu Apostolico Bataviensi separamus, easque in Praefecturam Apostolicam de *Celebes* nuncupandam erigimus. Propterea volumus, ut haec nova Praefectura Apostolica de *Celebes* intra fines suos residentias civiles vulgo *de Menado* ac de *Celebes* cum adnexis (*Onderhoorigheden*) complectatur, eandemque Missionariorum a Sacro Corde Iesu apostolicis curis committimus. Porro haec statuimus, decernentes praesentes Litteras Nostras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt plenissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

*Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XIX novembris MCMIX,  
Pontificatus Nostri anno sexto.*

P. Card. GASPARRI  
*a Secretis Status*

\*A.A.S., vol. XII (1920), n. 4, p. 100

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana